

creatione mundi, & dæmonum natura, & propagatione, tum Manichæorum, tum Valentinianorum absurda & nugatoria dogmata retinent. 3 De septem cælis & eorum intelligentiis eodem modo quo Valentiniani & ethnici fabulantur, in quo & Dei generalem tantum providentiam cōstituunt, & Angelorum cultum inducunt. Azoa. 23, & 25.

4 Diuinam essentiam negant esse simplicissimam, sed & eam cum Anthropomorphitis corporalem fingunt, & Deo præter essentiam tribuunt animam. Itaque semper de Deo tanquam de pluribus quibusdam rebus unitis plurali numero loquuntur.

5 Christum negant esse Deum, ex Ario, sed creaturam tantum appellant, etsi magnum quidem & sanctum Prophetam eum fuisse agnoscunt, cum Carpocrate. 6 Christum negant esse verum Dei Filium, quia Deum sine vxore Filium genuisse putant, cum Cerdone, absurdum & ἀδύνατον, etsi ex sancto Spiritu conceptum concedunt. Azoa. 9, & 11.

7 Christum neque passum, neque crucifixum volunt: sed phantasma pro eo Iudæis esse oblatum, quod illi delusi pro Christo in cruce fixerunt. Manichæanum & Marcioniticum istud. Azoa. 11. 8 Diabolos tandem salutem consequuturos, cum Origenistis docent. 9 Vitam æternam Epicureorum more, in voluptatibus corporis, etiam in cælo collocant, cum Cerinthianis. Azoa. 23. 10 Infernum & pœnas inferni fabulosè explicant, ad modum inferni Vergiliani, Purgatoriique Papistici. Azoa. 21, & 25. 11 Legis ceremonias, imprimis circumcisionem, delectum ciborum, & corporis, imprimis autem anilotiones uti necessarias ad salutem retinent & obseruant, cum Ebionitis. Azoa. 12.